

M. P. C. P.



Valentini Thebani Goni
v April 1618
Francofurti ad Viadrā



Σωτ' Θεω

QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM EX EPITOME FORMULÆ CONCORDIÆ
DECAS IIX.

De

PERSONA CHRISTI
ET DESCENSU EJUS
AD INFEROS.

PRÆSIDE

POLYCARPOLYSERO

SS. Theol. Licentiato & Profefs.

Extraordinario.

RESPONDENTE

M. ANDREA SCHEFFLERO

Boruffo.

Disputabitur ad diem 26. Junij horis
pomeridianis.

VVITTEBERGÆ,

Excusa à JOH. GORMANO, Anno 1611.



VIRIS

*Reverendis, Consultissimis, Clarissimis,
eruditissimis:*

Dn. FRIDERICO BALDUINO,
S.S. THEOL. DOCT. ET PROFES-
sori Academico, VVitebergensis Ec-
clesiæ Pastori & Superintendenti.

Dn. ANDRÆ RUHELN,
Reip. VViteb. à Judicijs, deq; hac per ali-
quot annorum decades benè merenti:

Dn. M. CUNRADO RUHELIO,
Ecclesiæ Schlibensis Præposito & Super-
intendenti.

**Dn. TIBURTIO RUHE-
LIO, J. U. D.**

Dominis meis, Præceptoribus, Favitoribus, Patro-
nis, Cognatis, (vel etiam affinibus) venerandis
perque secula honorandis.

D. & O.

Theologicum hoc exercitium

M. Andreas Schefflerus.



DISPUTATIO IIX.

Ex Epitome Formula Concordia,

DE
PERSONA CHRISTI,
ET DESCENSU EJUS
AD INFEROS.

QUÆSTIO I.

Quid est Christus, & quot in Christo
sunt naturæ?

T H E S I S I.



Non est in alio aliquo salus, nec aliud nomen sub cælo datum
hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, quàm in nomine
Iesu Christi Act. 9, 12. Hæc enim est vita æterna, Christo
asserente Joh. 17, 3, ut cognoscamus Deum verum, & quem
ille misit Iesum Christum.

II. Cognitio autem hæc Christi duo principaliter complectitur; Perso-
nam & officium; de quibus breviter hæc disputatio sumus acturi: Ini-
tium facientes à brevi ex sacris literis extructa, Christi descriptione.

III. Christus Iesus est secunda persona Trinitatis, verus &
proprius æterni Patris filius ante secula genitus, in plenitudine
temporis in unitatem personæ vera assumpta humanitate, homo
natus, Redemptor & Salvator generis humani.

IV. Inicò hic consideranda venit Persona, in qua duæ naturæ, & qui-
dem personaliter unitæ, ex qua unione realis cõmunicatio sponte fluit.

V. Duas in Christo naturas esse luculentè in definitione nostra ex-
pressum

pressum: divinam τὸ λόγῳ, & humanam in plenitudine temporis assumptam, Christus ergo DEVS est & homo.

VI. Deitatem Christi ita probamus: 1. quia ei attribuitur nomen essenziale DEI Iehova, & quidem absolute, Jer. 23, 6. Joh. 12, 39. & 20, 29. 2. attributa veri Dei, aternitas Esa. 9, 6. Hebr. 9, 14. Omnipresencia Joh. 1, 18. & 3, 13. Omnipotentia Matth. 11, 27. Apoc. 1, 8. Omniscentia Joh. 2, 25. Coloss. 2, 3. &c. 3. Opera, quae nulli prorsus creaturae, sed soli Deo competunt, qualia sunt, creatio & conservatio universi Joh. 1, Col. 1. Hebr. 1. collectio Ecclesiae, miracula, futurorum praedictio & alia. 4. Salutis & vitae aeternae donatio, Act. 4, 12. c. 10. 41.

VII. Etsi verò DEITAS communis est tribus personis; tamen solum Filium DEI verum DEV M incarnatum dicimus, & cum Damasceno confitemur, quod Deitas totaliter nobis in una sui ipsius personarum communicavit. Deitas ergo non communiter & absolute, sed relate in persona solius Filij considerata humanae naturae unita est.

II X. Cujus naturae humanae veritatem ita demonstramus. Christus 1. Homo dicitur, filius hominis, semen mulieris, fructus ventris, Luc. 23, 47. Matth. 8, 20. Genes. 3, 15. Matth. 1, 1. 2. constat anima rationali Matth. 20, 28. Luc. 23, 46. Johan 10, 15. & corpore humano Matth. 26, 26. Marc. 14, 8. Luc. 23, 52. & c. 24, 3. & 23. 3. habet propria hominis πρὸς θῆ Luc 2, ver. ult. Matth. 26, 28. Luc. 19, 41. Homo ergo verus est.

IX. Hanc verò humanam naturam assumpsit ex B. Maria Virgine, conceptus per inumbrationem Spiritus Sancti Anno Mundi 3976. secundum Bucholzerum, die 25. Martij: natus ejusdem anni die 25. Decembris.

X. Has duas naturas hodie ἄλλοι τράντ heretici, ex una parte Photiniani recentes, qui Christum Deum negant: ex altera parte Schvvenckfeldiani, qui Christum regnantem, secundum carnem, creaturam esse negant. Vtramque naturam, Anabaptistae oppugnant, contendentes DEV M dici, non quod essentialis DEVS sit, sed quod alios multitudine & excellentia donorum & gloria superet: Hominem verò dici, non quod carnem & sanguinem è Maria virgine assumeret, sed è caelo secum attulerit. Has blasphemias toto pectore execramur & damnamus.

QVAE

QUÆSTIO II.

Qualis unio est duarum naturarum?

- XI. Non satis est scire duas in Christo esse naturas, sed quomodo illæ in Christo sint è Scripturis discendam.
- XII. Sunt duæ perfectæ & integræ naturæ, non tamen sunt duæ personæ; & licet distinctæ sint & diversæ maneant, unione tamen singulari copulata sunt quam arctissime, ut Scriptura non duas, sed Vnum Christum Iesum, DEVM & hominem agnoscat.
- XIII. Ex multis dictis sequentia damus; 1. Cor. 8, 6. nobis Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum, 2. Cor. 5, 14. unus Christus pro omnibus mortuus est. 2. Cor. 11 12. Respondi vos uni viro Christo Timoth. 2, 5. Vnus est Mediator DEI & hominum, homo Christus Iesus.
- XIV. Hinc etiam unionem satis nervosè describit Scriptura, quod videlicet Verbum caro factum sit Johan. 1, 14. quando DEVS filium suum misit, natum ex muliere Gal. 4, 4. vel ex semine David secundum carnem, Rom. 1, 3: hic sicut pueri communicant carni & sanguini, ita ipse particeps factus est eorundem, Hebr. 2, 14. Propter quam intimam unionem, quod ex Maria nascitur, Filius DEI vocatur Luc. 1, 37. Imò filius hominis est filius DEI viventis, Matth. 16, 16. Habitat enim filius DEI in assumpta carne $\sigma\omega\mu\alpha\lambda\eta\chi\omega\varsigma$ Coloss. 2, 9.
- XV. Ex his colligimus: Unionem hanc duarum naturarum non esse 1. nudam $\omega\delta\gamma\epsilon\sigma\tau\iota\upsilon$, cuius ratione neutra natura cum altera quicquam commune habeat, ut quando duo asseres conglutinantur, aut duo lapides compinguntur: habitat enim DEVS in sua carne $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\chi\omega\varsigma$ per $\omega\epsilon\chi\theta\epsilon\gamma\eta\sigma\iota\upsilon$. Et hic error Samosatani fuit & Nestorij, jam dudum ab Ecclesia damnatus.
- XVI. 2. Neq; etiam $\sigma\upsilon\gamma\chi\upsilon\sigma\iota\upsilon$, quia nulla hic confusio, nec ex duarum rerum mixtione unius tertij compositi constitutio. Manent natura distinctæ cum suis proprietatibus in unione, non confusa, ut Euryches somniavit: secundum carnem natus ex Virgine, secundum Deitatem ante secula à Patre genitus.
- XVII. 3. Neq; $\gamma\sigma\iota\omega\delta\eta\upsilon$, ut in Trinitate; Vnus enim dicitur Christus, non propter substantiæ sed personæ unitatem; sunt duæ in ipso naturæ & una Persona.

4 3 4. Neque



XIIX. 4. Neque κατὰ φύσιν: Christi enim persona non constituitur ex duabus partibus imperfectis, sicut homo ex anima & corpore: sed constat duabus naturis totis, perfectis & integris. Quod verò Cyrillus & alij hanc unionem in Christo vocarunt ἁνωθεν καὶ κατὰ φύσιν, respuerant non ipsum modum unionis (nisi quatenus ab accidentali volebant distinctum) sed naturas unitas, quod scilicet ipsae naturae verè copulentur, non tantum secundum effectum participationis.

XIX. 5. Neq; προσωπιλω, quam Damascenus vocat, quando persona jungitur personae: unus enim est Christus non duo: neque humana in Christo natura est ἀυθυπόστατ, sed ἐνυπόστατ, subsistens in persona filij.

XX. 6. Sed est ὑποστατικὴ Personalis, hoc est facta in Persona λόγος in qua utraq; illa natura subsistit; Filius enim DEI assumpsit semen Abrahæ Hebr. 2, 16. & assumendo illud omnia, quae sua sunt, communicavit, & quae seminis Abrahæ sunt, sibi appropriavit.

QUÆSTIO IV.

Factane est in unione hac, ipsarum etiam naturarum quædam communicatio?

XXI. Unionem duarum naturarum in Persona factam, nominavimus Personalem, quia unam constituunt Personam. Natura ergo humana non propria subsistit ὑποστάσει, quod Nestorianum, sed ὑποστάσει Filij Dei. Neq; tamen propterea substantiæ nomen amittit, constat enim partibus essentialibus, quae intrinsecum substantiæ sunt; modum verò existendi habet à Persona λόγος, ad quam habet dependentiam suam ex ordinatione divina, & sic magis perficitur.

XXII. Subsistit ergo per hypostasin λόγος, quam revera habet & possidet, non per essentialiam, hoc enim Eutychianum, sed per communicationem, quae distincta est ab ipsa unione, sicut prius à posteriori, causa ab effectu.

XXIII. Atq; sic finita natura communicavit infinitæ personæ, & finitum sine sui abolitione capax est infiniti, quod contra Calvinianos probè notandum.

XXIV. Realiter verò communicata hypostasi Verbi natura assumptæ, ipsam naturam divinam Verbi quoque communicatam esse necessariò

cessario sequitur; natura enim divina λόγος ab eius hypostasi realiter non differt.

XXV. Testatur hoc Apostolus Paulus ad Coloss. 2, 9: In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: Quid enim aliud omnis plenitudo divinitatis, quam ipsa divinitas. Hec autem habitat in Christo, non quā DEVS, quia idem in seipso non habitare dicitur, sed quā homo, & quidem σωματικῶς tanquam in proprio templo, ut Patres locuti sunt.

XXVI. Quo accedit, quod humana natura habet sese instar δύναμeos ad divinitatem seu suam ἐντελέχειαν. Quaecumq; autem uniuntur ut δύναμις & ἐντελέχεια, ista sine communicatione mutua non uniuntur. Sicut ergo corpus Christi verè communicatam sibi habet animam; ita homo Christus verè participat divinitati.

XXVII. Ceterum communicatio haec in mutua & reciproca possessione consistit: non ergo solum divinitas habitat in assumpta carne, sed & vicissim Filius DEI sicut pueri communicant carni & sanguini, ita similiter participavit iisdem, Hebr. 2, 14. Sine hac enim, si esset, Filius DEI negatus, neq; passus aut mortuus verè dici posset. Scriptura autem testatur, quod Dominus gloriae crucifixus. 1. Cor. 2, 8. Autor vitae interfecit, Act. 3, 15. & Deus proprio sanguine sibi acquisierit Ecclesiam Act. 20, 28. Realiter ergo DEVS carni participat.

XXVIII. Probant hoc etiam praedicationes illae: Filius hominis est Filius DEI viventis Matth. 16, 16. Mariae Filius est filius altissimi: Item: quod ex te nascetur Sanctum, Filius DEI vocabitur Luc. 1, 31, 37. Nisi enim altissima hic esset unio & communicatio, de se invicem praedicari non possent. Quodcumque enim dicitur alterum, id eius, quod dicitur, naturam verè & realiter sibi habet communicatam.

XXIX. Quales autem haec sint praedicationes; si queratur: Dicimus esse singulares, sive personales, in quibus duae disparatae substantiae vocabulis synonymicis expresse, propter internam & altissimam unionem de se invicem enunciantur, modo singulari & inusitato.

XXX. Qualis enim unio, talis communicatio; & qualis communicatio talis etiam praedicatio: haec enim se invicem praesupponunt. Unio autem est personalis, singularis, inusitata; talis etiam est communicatio. Ergo etiam praedicatio. Neq; ergo propria est, neq; tropica, hoc est, ad consuetos praedicandi modos referrì nequit.

XXXI. Hoc tamen, quod probè notandum, adjicimus: Unio & communi-

munica-

communicatio sunt in persona; de propositionibus ergo his similiter iudicandum, hoc est, non abstracta sed concreta naturarum de se invicem predicantur, ne divinitas in humanitatem, & humanitas in divinitatem mutata credatur. Concurrunt enim natura, non ad unius natura, sed personae constitutionem, ob quem concursum de se invicem predicantur, quatenus in una persona uniantur.

QUÆSTIO V.

An detur communicatio Idiomatum & qualis?

XXXII. *Præcedente questione satis demonstravimus, naturas duas, divinam & humanam in persona unitas communicare: vi hujus communicationis naturarum sit communicatio Idiomatum & proprietatum, quam inimici & hostes Iesu Christi Iesuitæ & Calviniani, penitus tollere & funditus evertere percipiunt.*

XXXIII. *Nos breviter ex ipsa unionis & communionis naturarum natura demonstrabimus, idiomatum communicationem necessario concedendam esse.*

XXXIV. 1. *Quicquid in divina & humana natura venit sub unionem, illud quoque, venit sub communicationem. Sed non nuda, hæc natura, verum suis proprijs vestita venerunt sub unionem: Essentia enim suis proprijs destituta non est essentia. Ergo etiam eodem modo venerunt sub communicationem.*

XXXV. 2. *Ubiunque, duo subjecta ita per συνδιασµὸν uniantur, ut mutue actionis & passionis principia sint in utroque, ibi quoque, propria communicari necessum est. At humana & divina Christi natura, ita sunt per συνδιασµὸν unitæ, ut unum in alterum agere, alterum verò ab ipso actionem recipere possit. Ergo etiam communicatio Idiomatum est statuenda. Connexionem majoris illustrare possumus similitudine ferri & ignis: anima & corporis &c.*

XXXVI. 3. *Sacra Scriptura quando incarnationem describit, non nuda divine natura facit mentionem, sed idiomata etiam divine nature humanitati attribuit, ut Joh. 1, 14. Verbum caro factum est, statim subjungit: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.*

XXXVII. Vbi tamen nota non esse eundem communicationis modum, quo idiomata divina natura humana; & propria humana natura divina attribuuntur. ὁ λόγος enim dat & donat divinam maiestatem carni assumpta: non autem à carne aliquid accipere dicitur. Assumentis enim est dare, non assumpti, Leo Papa. Communicat ergo ὁ λόγος & carni gloriam; appropriat idem ὁ λόγος & sibi propria humana.

XXXIIX. Porro multiplex datur communicatio; Essentialis, Verbalis, Accidentalís, Sacramentalis &c. Quos modos omnes hic excludimus, quia vel naturas confundunt, vel personam duplicant, vel proprietatum differentias directè aut indirectè tollunt, vel arctissima huius unionis mysterium non attingunt.

XXXIX. Qualis ergo? Est & manet ineffabilis & imperscrutabilis, Est enim manifestè magnum pietatis Sacramentum, quod DEVS manifestatus est in carne, 1. Tim. 3, 16.

XL. Si tamen aliquid de hoc mysterio dicendum, asserimus esse communicationem personalem, qua voce non tantum causam communicationis, unionem personalem, innuimus, sed etiam modum illius aliquo modo adumbrare volumus, quod videlicet talis sit, qualis inter ea est, quae uniuntur ad unam personam.

XLI. Et concludimus insuper: Si tam arcta fieri potuit unio, ut exinde communicatio ἁποσείσεως & naturarum surgere potuit; utiq; talis quoq; κοινωνία in Idiomatibus fieri potuit. At verum prius: Verum ergo & posterius.

QUAESTIO V.

Estne hæc communicatio unius generis:

XLII. Negativam hac in parte tuemur: licet enim mutuam idiomatum communicationem defendamus, eundem tamen communicationis modum non concedimus: quia ὁ λόγος assumpsit carnem, non assumptus à carne, assumentis autem est dare, non assumpti.

XLIII. Divina etiam natura celsissima est & immutabilis, ut nec evehi nec humiliari in se possit: humana autem & infirma est, & mutabilis, perfici ergo & exaltari potest.

XLIV. Propositiones etiam & predicationes, quibus Scriptura utitur, quando de proprietatibus naturarum in Christo loquitur non sunt unius generis & modi. Nostra Concordia, ad tres classes illas revocare voluit, quas vulgo Tria communicationum genera appellamus.

B

Prima

XLV. Prima classis eas continet predicationes, in quibus vel proprietates utriusque naturae de Christo, vel humanae proprietates de Filio DEI enunciantur. Bimembris ergo haec classis est, ideoque distincta quoque imposita nomina.

XLVI. Prius membrum ἐκκατέρωσις dicitur, quando alterutrius naturae propria toti personae attribuuntur, & secundum cuius naturae proprietatem tribuantur, per distinctivam particulam explicatur Rom. 9, 5. Christus est ex patribus secundum carnem.

XLVII. Posterius ἰδιοπείησις vel ὀικείωσις appellatur, quando naturae humanae assumptae propriae, de assumente Filio DEI enunciantur, Act. 20, 28. DEVS proprio sanguine acquisivit Ecclesiam, 1. Johan. 3, 8. Filius DEI apparuit.

XLVIII. Nugae Calvinianorum, qui has predicationes verbales tantum statuunt, vel per ἀλλοίωσις explicant, vel Thomisticè resolvunt, vel in concreto tantum veras affirmant, ipsi disputationi reservare cogimur.

XLIX. Altera classis earum predicationum est, quae considerant Idiomatica, quibus officium Christi exprimitur. Persona enim non agit vel operatur in, seu cum una, vel per unam naturam tantum; sed potius in, cum, & secundum ac per utramque naturam, Gen. 3, 15. Semen mulieris conteret caput serpentis 1. Johan. 3, 8. In hoc apparuit filius DEI, ut dissolvat opera Diaboli.

L. Negant hanc κοινωποιάν Calviniani, hac in parte ipsissimi Nestoriani, docentes unamquamque naturam agere, quod sibi proprium incommunicabiliter, quoad ἐνεργείαν: sic ut actiones Naturarum, quoad ἐνεργείαν maneant Parallelae, in apotelesmate autem concurrant per συνδραμὴν:

LI. Quid vero caro & sanguis Christi nobis proderunt, si nulla ἐνεργειῶν communicatio? Considera hoc, qui pius es, & Atheismum respere statues.

LII. Tertia classis habet predicationes illas, in quibus propria filii DEI humanitati assumpta tribuuntur, Johan. 5, 27. Pater potestatem dedit filio iudicium facere, quia filius hominis. Johan. 3, 13. Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit à caelo, filius hominis, qui est in caelo.

LIII. Hic demum spiritus Calvinianus tumultuatur, & hanc
ἰσοπέδου

*Ἐπεὶ φωνῶν omnimodè negat; atq; hac in parte. 1. Judæos imita-
 tur ad Christum dicentes, Johan. 10, 33. Ob bonum opus non lapidamus te,
 sed ob blasphemiam, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum DEVM. 2. Arii
 patrociniam suscipit, Personam Christi incarnati, non naturam
 humanam in tempore esse exaltatam, assevens; talia autem sentientem
 in societatem suam Arius rapit, Leone teste. 3. Nestorio, Photino
 & Samosateno deterior est: ille enim statuit ipsam carnem coado-
 randam: hi licet Christum nudum hominem esse blasphemarent, fiduciam
 tamen in illum collocandam docuerunt. Calviniani verò, Interprete Da-
 wæo, statuunt, qui ad ipsam Christi carnem suam adorationem & invoca-
 tionem dirigunt, illos ex ipsius DEI ore esse maledictos.*

QUÆSTIO VI.

Omniāne, an aliqua divina Idiōmata carnī
 Christi sunt communicata?

LIV. Tertiā classē, quæ *Ἐπεὶ φωνῶν* dicitur, maximè à Calvi-
 nianis impugnari, jam vidimus. Hoc verò ariete illam concutere maxi-
 mè cupiunt: Si idiōmata divina communicantur, aut aliqua, aut
 omnia communicantur. Non aliqua, quia indiviso nexu copulata:
 Ergo omnia, atq; sic humana natura erit infiniā, immaterialis, hoc est, non
 erit natura humana.

LV. Excutiamus hæc, & videbimus, quā levis armatura hic miles sit,
 commodissimè id fiet, si hæc duo demonstremus; 1. Omnia Idiōmata esse
 communicata. 2. Nec tamen omnia prædicari de Christo.

LVI. Fundamentum 1. extruimus ex 1. Cor. 15, 47. Secundus ho-
 mo est Dominus de cælo, Johan. 1, 14. Verbum caro factum est. Nemo po-
 test esse DEVS sine Deitate & omnibus divinis proprietatibus. Homo est
 DEVS, Ergo Homo ille qui DEVS est, non potest esse sine Deitate &c.

LVII. Alterum desumimus ex Epistola ad Coloss. 2, 9. In Christo
 inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. In quo habitat omnis
 plenitudo divinitatis corporaliter, in eo etiam omnes proprietates divine
 habitant, & sic quoq; communicata sunt. At in Christo homine habitas
 omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ergo & omnes proprietates di-
 vine in eo habitabunt & communicatæ erunt.

LIIIX. Tertium hoc esto: Vno idiomatum divinorum communicato, omnia communicantur, quia indiviso nexu copulata. Omnipotentia, vis vivificandi &c. communicata sunt carni Christi, dicta Scripturae post citabimus. Ergo omnia communicantur.

LIX. Haecenus, Omnia Idiomata communicata, demonstratum: sed num omni etiam de carne Christi predicantur?

LX. Nolite quaeso sapere, supra vel plus quam scriptum, 1. Cor. 4, 6. Scriptura de Christo homine enunciat, quod sit omnipotens Matth. 28, 18. Joh. 3, 35. Omniscius, Col. 2, 3. Joh. 21, 27. Vivificus, 1. Cor. 15, 45. Joh. 6, 33. Omnipraesens, Matth. 28, 20. Ephes. 1, 22. & propterea adorandus, Hebr. 1, 6. Philip. 2, 9. Nullibi verò dicit, quod sit infinitus immaterialis. Ergo in revelatis acquiescamus.

LXI. Et cum haec Idiomata non considerentur, prout in Deitate simplicissime unum sunt, sed prout communicata sunt carni, neque tantum prout communicata sunt, sed prout operationes suas in, eum & per carnem exerunt; Et verò denominatio fiat ab agendi facultate, non autem essentiae qualitate: Illa predicabuntur de carne Christi, quae ad extra se proferunt in creaturis, & per operationes se conspicienda praebent: reliqua verò licet τῆ κατῶς communicata sint, quia autem certis ἐνεργήμασι sonas non progrediuntur, de Christo homine non enunciabuntur.

QUAESTIO VII.

Cur vero Christus Idiomata illa, à quibus denominatur, non semper exeruit?

XLII. Majestatis communicatio ex unione fluit, facta ergo unione etiam communicationem majestatis factam esse necessario statuendum: quam tamen ad tempus quasi repressit & cohibuit.

LXIII. Nemo enim putare debet, Christum eam majestatem non semper habuisse, sed exinanivit se ipsum forma servi assumpta, & in similitudine hominum factus, & habitu inventus, ut homo, Philip. 2, 7.

LXIV. Causas hujus facti has damus 1. Non potentia illi defuit, sed voluntas, toties ergo exeruit, quoties illi visum necessarium, cujus rei exemplum Christus duodennis edidit Luc. 2, 46.

LXV. 2. Sub hac sua humilitate Diabolum decipere voluit, qui eum in divina majestate constitutum aggredi ausus non fuisset. 3. Requirebat etiam Redemptio generis humani, quam perficere non potuisset, si
divinans

divinam majestatem semper exeruisset, cum enim neq³ pati neq³ mori potuisset; hoc autem praestitit servi forma assumpta.

XLVI. 4. Erat idem Christus, cum in his terris ambularet, in statu exinanitionis constitutus, cui statui humilitatis competit, sicut exaltationi gloria: haec enim oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, Luc. 24, 26.

LXVII. Duplex enim est status carnis Christi, Exinanitionis unus, Exaltationis alter.

LXVIII. Exinanitionis est ille, in quo Christus constitutus fuit à tempore suae natiuitatis, usq³ ad gloriosam resurrectionem. Ad hunc statum pertinent ea omnia, quae de infirmitatibus Christi in Scripturis dicuntur: Pontifex enim noster tentatus est per omnia pro similitudine absq³ peccate Hebr. 4, 15.

LXIX. Exaltationis ille est, in quem post resurrectionem venit: Qui vel glorificationis, quando depositis omnibus humanae naturae, infirmitatibus, in conditionem glorificatorum corporum translatus est: huius gloriae & nos, servatis tamen gradibus, in resurrectione conformabimur. Phil. 3, 21.

LXX. Vel majestatis, in quem gloriosa ascensione in caelos pervenit; estq³ nil aliud, quam plenaria communicatio in primo unionis momento majestatis usurpatio Act. 2, 36. Phil. 2, 8.

LXXI. His statibus ritè observatis, multas Calvinianorum imposturas detegere, ritèq³ huc illud accommodare possumus: distingue tempora, & concordabit Scriptura: Multa enim de Exinanito dicuntur Christo, quae Exaltato minime competunt.

Q U A E S T I O I I X.

Ad quem statum descensus Christi ad inferos referendus?

LXXII. Peculiarem hic Articulus tractationem requireret: verum quia Scriptura parè de eo agit, nos etiam paucis eum absolvemus.

LXXIII. Initio autem probamus singularem Concordiae modestiam, quae sublimitatem huius articuli perpendens, consulit: de eo non esse disputandū, sed quam simplicissimè hunc articulū credendū & docendū esse.

LXXIV. Secundo notamus, disceptatum quidem fuisse de hoc articulo, sed à nullo Augustanae confessionis Theologo negatum; de circumstantiis ergo, & non de Substantia Articuli huius quaestiones motae sunt.

Tempus descens. Christi ad inferos. LXXV. Nos singulas breviter proponemus. I. Quæsitum de tem-

pore, Quando Christus descenderit, an ante, vel post mortem? decisionem desumamus ex symbolo apostolico, quod ordine doctrinam, & quasi etiam historiam Christi complectitur: hoc autem testatur, post sepulturam, atq; sic post mortem Christum ad inferos descensisse.

LXXVI. Quod autem quidam ante mortem hunc descensum factum statuerunt, in causa fuit, quod Metaphoricè hunc articulum intelligendum esse putarunt, notari scilicet hoc descensu gravissimas miseras tum corporis tum animæ, quales in horto & cruce Christus sustinuit.

LXXVII. Etsi verò Scriptura hanc significationem phraseos habet; non tamen satis graves causas videmus, quæ nos moverent, ut aliter ali sensu discederemus, & metaphoricum sequeremur; nulla hic absurditas, nulla contradictio apparet.

modus.

LXXVIII. II. Sed quomodo descendit? Non est, respondet Concordia nostra, ut argutis & sublimibus imaginationibus scrutemur; ratione enim & sensibus comprehendi non potest. Satis est si solidam consolationem, quod neq; Satan, neq; ipsi inferi nos, omnesq; alios in Christum credentes, in potestatem suam redigere, aut nobis nocere valeant, ex hoc articulo hauriamus.

LXXIX. III. Num totus Christus, an verò anima tantum, an divinitate sola descenderit? Totam personam, DEVM & hominem, ad inferos descendisse credimus; Christus enim descendit ad inferos: *ἔβησος* autem τὸ συναμφοτέρωθεν *ἔβησος* Athanasius, Orat. 5. contra Arianos.

XXX. Neq; obstat quod corpus in sepulcro, anima in Paradiso fuerunt: de naturali enim actu hoc intelligendum, qui personali nil derogat: mansit autem personalis unio etiam in ipsa morte inviolabilis.

XXXI. Et si in ipso resurrectionis momento, ut multi piè statuunt, descensus hic per actus, naturalis illa solutio corporis & animæ tum desijt, neq; actum hunc impedire potuit.

XXXII. IV. Tandem Quæsitum; Num hic articulus ad passionem, an verò ad gloriosam Christi victoriam sit referendus? Hoc quæsitum Concordia nostra non expressè determinat; sed contentos nos esse, jubet, si sciamus Christum ad inferos descendisse, infernum omnibus credentibus destruxisse, &c.

XXXIII. Non tamen opinor errabit, qui dixerit, Concordiam nostram magis inclinare in illam partem, quæ ad triumphum Christi hunc descensum

descensum refert: Quam etiam Augustanæ Confessionis esse men-
sem exinde colligimus, quod absoluto exinanitionis statu, de scriptura sta-
tum Exaltationis, in initio periodi, & sic primo loco hunc articulum ponat,
eig, qui de resurrectione est, jungat.

XXCIV. Sed quid opus, ut curiosè hæc scrutemur, reservabimus res
huius cognitionem alteri seculo. Form. Conc. pag. 614.

QUAESTIO IX.

Quod est officium Christi sacerdotale?

XXCV. De Persona Christi hætenus egimus, & id quidem pau-
cis; restat ut de Officio Christi agamus, quod saltem attingemus.

XXCVI. Officium autem Christi ex sine Incarnationis estiman-
dum; propter nos vero homines & nostram salutem descendit de caelis, Sym-
bol. Nicenum.

XXCVII. Est verò duplex: Sacerdotale & Regium.

XXCVIII. Sacerdotis munere functus est. 1. Docendo, sive
revelando nobis DEI voluntatem de nostra salute. Hinc λόγος dicitur
Johan. 1. & Angelus DEI, Genes. 48, 16. Commendat huius doctrinam
ipse DEVS nobis Matth. 17, 5.

XXCIX. Et hoc Docendi munus, id ipsum est, quod alij Propheti-
cum appellant Officium. Est enim Christus noster & vere dicitur Pro-
pheta Magnus, imò Maximus Deut. 18, 18. Luc. 7, 16.

XCI. 2. Sacrificando, & seipsum Patri offerendo, sicq; legi divina
satisfaciendo. Quod sacrificium totam Christi respicit Obedientiam
quam DEO prastitit, & perfecta Legis divina observatione & poenarum
peccatis nostris debitaram perpeffione absolvitur.

XCI. Hoc ergo sacrificio mediam se inter DEVM & homines ponens,
DEVM toti generi humano reconciliavit: Hinc Mediator Novæ
Testamenti dicitur Hebr. 9, 15. 1. Tim. 2, 6.

XCII. 3. Orando, interpellat enim pro nobis apud DEVM per meri-
tum & satisfactionem suam. Neq; enim sufficit acquisitio salutis, re-
quiritur etiam applicatio, hæc fit quando fidem, intercessione Christi, in-
petramus, quæ manus nostra est, qua omnia Christi beneficia accipimus, &
nostra facimus.

3 1 1 1 1

93. Oravis

XCIII. Oravit autem pro nobis, non tantum in terris, cum visibiliter obambulare, Joh. 17. Luc. 24. sed etiam nunc in gloria constitutus fidelis est apud Patrem noster advocatus est. 1. Joh. 2, 1, 2.

Q U Æ S T I O X.

Quod est officium Christi Regium?

XCIV. Alterum Christi officium Regium diximus, quo sedens ad dextram majestatis in caelestibus, omnia in caelo & terra sibi subiecta habet, ijs dominatur, regit & gubernat, cum primis Ecclesiam suam protegit & defendit, eamq; in novissimo die aeterna gloria & honore coronabit.

XCV. Hoc regnum non mundanum est, sed spirituale Joh. 18, 36. non temporaneum sed aeternum, Luc. 1, v. 33. non Judææ finibus conclusum, sed in toto terrarum orbe dilatatum: Rex enim est super domum Iacob, Luc. 1, 33. Dux Gentium, Esa. 35, 4 & Heres omnium, Hebr. 1, 2.

XCVI. Dupliciter autem considerandum nobis proponit hoc regnum Scriptura, Vel in hac, vel in altera vita.

XCVII. In hac vita. 1. Est Regnum potentiae, quod est generale dominium super omnes creaturas, Psalm. 8, 1, Cor. 15, 2. Est Regnum gratiae, quod specialis est Ecclesia gubernatio, & donorum sive beneficiorum sanguine ipsius acquiritorum distributio: qualia sunt, fides, Remissio peccatorum, Iustificatio, Salvatio &c.

XCIII. In altera vita erit Regnum gloriae, quando resuscitatis mortuis aeterna gloria pios beabit; cujus aliquem gustum discipulis praeiussit in monte sancto. Matth. 17, 2.

XCIX. Administrat autem hoc regnum non absens, sed maxime praesens: ideo enim ascendit in caelum, & consedit in dextra Patris, ut impleret omnia, Eph. 4, 10. Quae ipsa praesentia pro ratione triplicis considerationis Regni Christi, triplex constitui potest.

C. Universalis, quae omnibus adest creaturis: Gratiosa, quae adest Ecclesiae in his terris, vel spiritualiter in verbo, vel Sacramentaliter in Sacramentis: Gloriosa, quae adest beatis in altera caelesti vita.

CI. Qui modi praesentiae non sunt oppositi, sed posterior priorem semper includit. Vbiq; enim Christus praesens est, & dominatur, sed non uno eodemq; modo id fit, ut haecenus demonstratum.

F I N I S.

822 A 33

ULB Halle 3
001 586 408




Sb

EO-Ry
03.10.1

DM








Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



M THEOLO-
 EPITOME FOR-
 NCORDIÆ
 S IIX.
 CHRISTI
 NSU EJUS
 ROS.
 POLYSERO
 antiato & Profefs.
 inario.
 DENTE
 CHEFFLERO
 Jo.
 em 26. Junij horis
 lianũ.
 BERGÆ,
 MANO, Anno 1611.

35

